dum diximus ad huius quæstionis initio numero 85.

Controversia igitur est, quale debeat esse hoc propositum, an scil. requiratur explicitum, & formale, quo nimirùm pœnitens actualiter statuat ampliùs non peccare, vel sufficiat implicitum, & virtuale, idest, imbibitum in ipsamet detestatione de peccatis commissis, quæ nempè detestatio talem vim habeat, quòd si à pœnitente explicitè quæratur, an velit iterum peccare, non possit simul cum illa detestatione habere animum peccandi, sed si aliquem actum circà hoc eliciat, non nisi propositum abstinendi à peccatis habebit. In qua controversia tres sunt sententiæ, duæ extremæ, & una media. Prima extrema affirmat, requiri formale, & actuale, quod quidem aliqui requirunt tantùm de necessitate præcepti, aliqui verò etiam de necessitate medii, pro qua sententia plures citantur Th omistæ, & ex nostris sequitur Brancatus *d.8.art.* 14. & Hiquæus *d.17.q.unic.* in Commentario *n.67.* Secunda sententia extrema negat necessariò & per se requiri formale propositum asserens sufficere virtuale inclusum in ipsa detestatione peccatorum, vel obedientiali dilectione Dei, ita Maior, Argentinas; Medina, Vega, Valentia, Coninch. & alii. Tertia tandem sententia media asserit expressum propositum de cætero non peccandi per se quidem, & regulariter esse necessarium, sive necessitate præcepti tantùm, sive etiam, medii, quando pœnitens advertat, & cogitet etiam de tempore futuro; per accidens tamen, & in aliquo casu defectu considerationis, aut temporis sufficere virtuale, & implicitum; ita discurrunt Navarrus, Suarez, Vasquez, Henriquez, Nugnes, Amicus; Lugus, Aversa, & ex nostris Aretinus *dist.* 14. *q.* 3. *art.* 3. Hiribarnes *dist.* 14. *qu.* 2. *sect.*7. & quidam alii Scotistæ, & Recentiores.

112 Dicendum est cum hac tertia sententia, per se, & regulariter loquendo necessariam esse formale, & explicitum propositum non peccandi in posterum ad rationem contritionis; per accidens tamen, & in aliquo casu defectu considerationis, aut temporis sufficere virtuale, & implicitum. Hæc conclusio quoad primam partem est Scoti *4.dist.*14. *q.*4. *§. ad primum argumentum*, ubi ad rationem contritionis cum diligentia de peccatis commissis exigit etiam propositum cavendi de cætero, quam sufficientissimè probat rationes, & auctoritates, quę pro prima sententia solent adduci, sic enim loquitur Scriptura Isaiæ 1. *Lavamini mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite agere perversè*, Amos 5. *odite malum, & diligite bonum*, ad Ephes. 4. *deponite veterem hominem, & induite novum*, in quibus & similibus auctoritatibus, quæ passim in Scriptura occurrunt, præter detestationem præteritæ vitæ, semper propositum additur novæ vitæ. Sic etiam loquuntur Patres, dùm pœnitentiam definiunt, quòd sit *præterita mala plangere, & plangenda iterum non admittere*, ut Ambros. *lib.* 2. *de pœnitent. cap.* 5. & quòd sit *anteacta mala flere, & flenda non committere*, ut Greg. homil. 24. in Evang. sic etiam Concil. loquuntur, ut Florentinum in decreto Eugenii 4. dicens, ad contritionem pertinere, *ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero*, & Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. cùm contritionem definit, quòd *sit detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*; sic tandem suadet ratio, quia perfecta pœnitentia est morus, quo anima per gratiam movetur à statu peccati ad statum justitiæ, juxtà illud *declina à malo, & fac bonum*, hic autem includit recessum à malo per detestationem vitæ prioris, & accessum ad bonum per desiderium, & propositum vitæ melioris; ergo per se, & regulariter loquendo, quando per tempus licet, & cùm detestatione præteritæ vitæ subdit memoriæ futuræ, & non impedit invincibilis ignorantia, aut naturalis oblivio talis propositi, hoc est, necessarium formale, & explicitum, sive ut medium, & dispositio ad justificationem, ut aliqui volunt, sive ut præceptum naturali jure coniunctum cum detestatione prætetitæ vitę, ut fert communior, & probabilior opinio.

113 Quò verò ad aliam partem, quòd scilicet, quoties adversantia futuræ vitæ defuerit inculpabiliter, tunc satis sit virtuale propositum, & implicitum sive in Dei dilectione imbibitum; sivè in actu detestationis peccati, quatenus offensa Dei; est etiam Scoti *4.dist.* 22. *q.* 1. *§. de tertio*, ubi ait, quòd pœnitens, quotiescunque dignè pœnitet, obligat se saltem in voto ad non peccandum in posterum, quia sine tali proposito non est digna pœnitentia; Itaque in casu naturalis oblivionis, aut invincibilis ignorantiæ, vel temporis defectu, expressum propositum cavendi peccata in futurum non est ad justificationem necessarium, sed sufficit virtuale, & implicitum, siquidem verisimile non est, in his casibus peccatorem non justificari, si aliàs fecerit, quantùm in se fuit, detestando efficaciter peccata commissa ex motivo charitatis; nam in his casibus defectus formalis propositi ad culpâ imputari non posset, alioquin sequeretur, quòd si quis pręterita peccata ex vehementi amore Dei detestans moreretur statim, antequam de futura vita cogitare posset, gratiam confecuturus non esset, quod omninò alienum est à misericordia Dei, qui diligentes se diligit. Dato ergo casu, quòd pœnitens præ nimio dolore peccatorum non recordetur vitæ futuræ, cum tali tamen dispositione, quòd si recordaretur, proponeret efficacissimè in futurum cavere, talis dolor est propositum virtuale, & pœnitens in tali casu excusatur ab actuali, ut patet in celebri illa Davidis justificatione, in qua nulla fit mentio huius propositi, sed statim exclamanti: *Peccavi*, subiungitur à Propheta Natan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, ubi inquit August. hom. 41. de tempore *in his tribus syllabis, peccavi, flamma sacrificii coram Domino ascendit in Cœlum*.

Accedit etiam ratio, quia dolorde peccatis commissis propter offensam Dei virtualiter includit propositum cavendi posteriori tempore peccata, ergo in his casibus sufficiens censeri debet, cùm includat recessum à quovis peccato etiam futuro saltem virtualiter; consequentia patet, probatur assumptum, quia sola detestatio peccati commissi separat cor ab affectu peccati, non tantùm præteriti, sed etiam peccati absolutè sumpti, prout est indifferens ad præsens, præteritum, & futurum, ergo saltem implicitè in se imbibit propositum vitandi peccata, etiam in posterum, atque adeò erit sufficiens dispositio in illis casibus ad justificationem.

Confirm. quia quando aliquis habet plura mortalia, & non meminit, nisi unius tantùm, illudque propter Deum detestatur, alia verò non quia eorum non meminit; hic certè se sufficienter ad gratiam disponit in communi sententia, & non alia ratione, nisi quia formalis illa detestatio de uno peccato virtualiter, & in voto est de omnibus, quæ memoriæ non occurrunt; ergo à pari quando intellectus ob aliquod impedimentum in prędictis casibus non proponit voluntati futuram vitam, sola detestatio peccati commissi sufficiens erit dispositio ad justificationem, eo quòd implicitè contineat propositum ampliùs non peccandi. Et quidem omninò irrationabiliter Hiquæus *loc. cit.* prædictorum casuum possibilitatem negare videtur, quis enim negat posse contingere, aliquem peccatorem subita sic morte prævenirì posse, ut recordari quidem possit peccatorum commissorum, & de eis dolentem, & clementem, *Domine miserere*, moriatur, antequam de futuro aliquid cogitare, & statuere potuerit; planè casus iste est possibilis, & etiam de facto contingit; Et quidem valdè durum, & inhumanum esset dicere, quòd iste venia carebit, & damnabitur; neminem enim Deus, quod est in se, facientem deserit, & sub ipso mortis articulo cunctis ad se conversis veniam impartitur.

114 In oppositum urgent Hiquæus, & Brancatus *loc. cit.* quia distinctio illa de proposito virtuali, & formali infert Doct. Conc. & Patrum superfluitatem, & negationem, & certè in Trid. non habet locum, quia propositum virtuale nihil aliud est, quàm odium ipsum, & detestatio peccati, seù contritio formalis, & perfecta; Sed præter odium, & detestationem peccati exigit Conc. & Patres propositum, tanquam omninò diversum, ut patet ex particulis copulativis, & cumulativis eius, quod ex integro requiritur; ergo non intelligunt propositum virtuale, sed formale.

Confirm. quia in actu detestandi peccatum, quatenus offensa Dei, non continetur virtualiter decretum, quo dicat voluntas, nolo in futurum iterum peccare, neque volitio peccandi in futurum repugnat cum nolitione, aut detestatione peccati præteriti; ergo detestatio peccati præteriti nequit dici propositum virtuale non peccandi in posterum; consequentia patet, probatur assumptũ, quia in detestatione ludi verbi gratia, venationis, crapulæ &c. non continetur virtualiter decretum de non ludendo, de non venando, de non crapulando in futurum, neque cum odio crapulæ præteritæ repugnat nolitio crapulæ futuræ, aut venationis; ergo neque cum detestatione peccati præteriti repugnat volitio peccati futuri; ergo cùm dicit Concilium, contritionem esse detestationem cum proposito, non potest glossari de proposito virtuali, sed debet intelligi de formali, & de aliqua alia entitate diversa à detestatione; Demum, votum confitendi, & satisfaciendi, quod idem Concilium requirit in contritione, quæ justificat extra sacramentum, non potest explicari, aut salvari per votum virtuale, neque votum baptismi in non potente habere illum; ergo neque propositum non peccandi de cætero, consequentia patet, probatur assumptum, nam intuitu voti sacramenti datur remissio peccati in contritione, sacramentum autem nisi sit explicitè volitum, nihil operatur; ergo votum eius debet esse formale, alioquin non esset magis votum sacramenti pœnitentiæ, quàm extremæ unctionis, quia nullus actus non respiciens explicitè sacramentum pœnitentiæ, sed implicitè dari potest, qui non posit dici implicitè voluntas aliorum sacramentorum, & bonorum omnium.

115 Resp. primò, Concilia, & Patres meritò ad contritionem requirere propositum de cætero non peccandi, ut quid ab ea diversum, quia hoc regulariter, & ferè semper in justificatione peccatoris intervenit, nec declarare curarunt, an hoc requiratur essentialiter, an potiùs connaturaliter, & nùm possint interdum separari, an non; cùm enim doctrinam tradant de rebus ad salutem necessariis, ea tantùm docent, quæ regulariter vera sunt, & certa moraliter. Addo etiam, neque ipsam Tridentini auctoritatem esse necessariò interpretãdam de proposito formali, sed satis benè etiã intelligi posse de proposito formali, & virtuali; idque probari potest ut hic Aretinus advertit, ex consimili auctoritate Trid. *sess.* 6. *c.* 6. ubi dicitur, baptismum ad justificationem esse necessarium, vel baptismi votũ, quod tamen non intelligitur de voto explicito præcisè, sed

sè, sed de explicito, vel implicito, ut patet ex D. Thoma 3. *p. q.*69. *ar.*4. *ad* 2. ubi dicit, remissionem peccatorum aliquem consequi ante baptismum, secundum quod habet baptismum in voto explicitè, vel implicitè; quomodo igitur Tridentinum dicat, esse necessariũ propositum non peccandi de cætero, optimè intelligi potest de proposito formali, vel virtuali, explicito, vel implicito.

Ad Confirm. negatur assumptum, & ad probationem negatur paritas, quia dolor de peccatis commissis propter offensam Dei est odium quoddam, & abominatio in genere omnium peccatorum, cum qua non stat complacentia, aut voluntas alicuius peccati, & talis detestatio, ut dicebamus, separat cor ab affectu peccati, non tantùm præteriti, sed etiam peccati absolutè sumpti, prout est indifferens ad præsens, præteritum, & futurum, atque ideò saltem implicitè imbibit propositum peccata vitandi, etiam in futurum; quod dici nequit de detestatione ludi, venationis, & crapulæ, & ideò negunda est illa paritas, & consequentia inde deducta. Ad ultimum negatur assumptum, ut mox patebit, ut etiam de voto baptismi dictum est *disp.*2. *de Baptismo q.*7. *art.*1. *n.*172. ad probationem negatur intuitu sacramenti in voto dari remissionem peccati in contritione, nam remissio peccati datur intuitu contritionis, ut hic tamen circumstantia voti sacramentalis affecta est, itaut ipsa remissio contritioni correspondet, licèt non sine sacramenti voto, quod non per modum causæ requiritur, sed per modum circumstantiæ; ut ad verbum docet Tridentinum *sess.*14. *cap.* 4. & falsum omnino est sacramenta gratiam conferre in voto tantùm suscepta ut diximus *disp.*1. *de Sacramenti in genere q.*10. *ar.*1. Quomodo autem adhuc stante hac doctrina sit illud votum virtuale magis sacramenti pœnitentiæ, quàm extremæ unctionis, & aliorum donorum, patet ex dictis in simili de Baptismo *q.*7. *cit. art.* 1. *n.* 175. ubi declaratum est, quare sit magis necessarius baptismus in voto, quàm aliorum præceptorum observatio, & cur magis dicatur homo per baptismum in voto etiam virtuali justificari, quàm per quæcumque alia præcepta in voto, quod etiam adhuc magis declarabitur posteà in proposito de pœnitentia.

Tandem arguunt alii, quod principale finis pœnitentiæ est emẽdatio vitę; ergo in ea principaliùs includitur propositum vitæ melioris; ergo sicut in ea detestatio vitę prioris includitur formaliter ita & propositum vitæ melioris. Accedit, quòd perfecta pœnitentia includit recessum à malo per detestationem vitæ prioris, & accessum ab bonum per desiderium, & propositum vitæ melioris; ad hoc autem necessariò requiritur formale decretum, quo dicat voluntas, nolo in fututum peccare, sed præcepta Dei servare. Denique ad contritionem necessarius est actus dilectionis Dei super omnia; sed hic habeti nequit sine proposito formali vitandi omnia peccata mortalia, ergo &c.

116 Resp. primò negando antecedens, finis enim præcipuus pœnitentiæ detestativæ est delere peccatum commissum, & satisfacere Deo aliquatenus pro eo; Deindè concesso etiam, pœnitentiam æquè principaliter respicere detestationẽ vitæ prætęritę, atque emendationem futuræ, negatur tamen, utramque proximè respici, nam retractatio vitæ prætęritæ respicitur proximè, emendatio verò futuræ remotè, quo fit, ut potiùs detestatio prætęritæ requiratur expressè, quàm propositum futuræ; quia potest remotum virtualiter intendi in proximo, non è contrà. Ad Confirmationem negatur minor, non enim est essentiale contritionis, ut semper ad bonum accedat per propositum formale, sufficit enim interdum, si ad illud accedat per propositum tantùm virtuale. Ad ultimum, potest primò negari antecedens absolutè sumptum, falsum est enim, ad veram contritionem requiri semper formalem actũ amoris Dei, nam perfici etiam potest interdum simplici actu detestationis ex motivo justitiæ elicito, qui virtualiter, & in voto amorem includat, ut patet ex dictis art. præc. nu. 92. Et concesso etiam, ad contrionem semper necessariò requiri actum dilectionis Dei, super omnia, adeo quod sine illo vera peccatorum detestatio haberi non possit, adhuc tamen non sequitur, formale propositum cavendi peccata esse pariter necessarium, quia potest etiam interdum sufficere solùm virtuale in tali actu inclusum.

ARTICULUS TERTIUS.

Cætera ad contritionem requisita declarantur.

117 Septimò ulteriùs quæritur, An votum, seù propositum sacramenti pœnitentiæ, sèu confessionis ad contritionem requisitum, ut sit proxima, & ultima dispositio ad justificationem Trident. *sess.*6 *c.*14. & *sess.*14. *c.*4. debeat esse semper explicitum, & formale, an interdum sufficiat etiam implicitum, & virtuale. Recentiores communiter affirmant, sufficere virtuale, & implicitum, de quo putant, Trident. esse locutum *loc. cit.* quia ibi loquitur de sacramenti voto, quod in ipsa contritione includitur, non includitur autem, nisi virtualiter. Alii verò è contrà dicunt, votum sacramenti pęnitentiæ non sufficere, si sit implicitum, sed semper explicitum esse debere, & actum ab ipsa contritione distinctum; ita præsertim ex nostris Brancatus *disp.* 8. *art.* 15.

Dicendum tamen est, per se, & regulariter loquendo tale votum esse debere formale, & explicitum, per accidens tamen, & in aliquo casu implicitum, & virtuale sufficere posse, ut in præcedenti quæsito dictum est de proposito non peccandi in posterum. Conclusio quoad primam partem deducitur ex Scoto *4.dist.*17. *q.unic.* in solutione principalium ad auctoritatem Aug. & Cassiodori, ubi dicit, contritioni annexum esse votum confitendi; nec deleri peccatum per contritionem sine proposito confessionis, & loquitur de voto explicito, & formali, ut patet legenti textum, & ibi notat Hiquæus; & expressè etiam deducitur ex Concil. cit. ubi votum sacramenti requirit, tanquam aliquid ab ipsa contritione distinctum, & non tantùm, ut virtualiter in ipso contritionis actu inclusum, ut Vasquez interpretatur *3.p.q* 84. *ar.*5. *dub.un.* ita habetur *sec.* 6. *c.*14. ubi loquens de pœnitentia hominis Christiani post lapsum inquit, *ea contineri non modò cessationem à peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum, & humiliatum, verùm etiam eorundem sacramentalem confessionem saltem in voto, & suo tempore faciendam*, hi autem actus sunt diversi, & tanquam diversi numerantur; ergo sensus Concilii est, quòd regulariter loquendo tale votum sacramenti pœnitentiæ debeat esse expressum, & formale, & fieri debeat per actum ab ipso actu contritionis diversum.

118 Confirm. ratione ipsius Doct. *dist.*17. *q. unic.* quia si de peccatis post baptismum commissis haberi posset justificatio per solum contritionis actum absque sacramento in re susceptò, vel saltem in voto suscipiendo per actum expressum, frustrà institutum esset pœnitentiæ sacramentũ; sufficeret enim hominem conari sut cum Dei auxilio conteratur absq; ulla sacramenti pœnitentiæ memoria, neq; verificaretur, quomodo esset secunda tabula post naufragium, si portus haberi posset à naufragio secutus post baptismũ absq; eo penitùs recogitato; ergo ex institutione sacramenti pœnitentiæ ad finem peccata delendi post baptismum commissa oritur hæc obligatio voti saltem pœnitentiæ, & quidem formalis, & explicitè regulariter, & per se loquendo, ut justificatio habeatur de peccatis post baptismum commissis; idem quoq; docet D. Bonav. 1. *part.* eiusdem *dist.* 17. *art.*1. *q.*4. ubi asserit, neminem justificari posse absque sacramento confessionis saltem in voto, & loquitur de voto explicito, & sic explicat plures Sanctorum auctoritates docentium, neminem sine confessione justificari posse, & sic etiã discurrunt Alensis *4.par.q.*8. *memb.*2. *a.*1. & D. Th. *3.p.q.*86. *a.*6. Magistet *d.*17. *c.*2. & alii Antiquiores, apud quos non ita familiaris fuit distinctio voti formalis, & virtualis, sicut est apud Recentiores.

119 Quòd autem per accidens, & in aliquo casu sufficiat aliquando votum confusum, & implicitum Sacram. pœnitentiæ quæ erat altera pars conclusionis v.g. in casu ignorantiæ, quando est defectus instructionis, qui casus contingere potest etiam frequenter in iis, qui minùs sunt instructi, concedunt Recentiores passim, & ex nostris Hiquæus *d.*17. *q.unic. num.*112. & probatur, quia hoc satis congruum videtur Divinæ misericordiæ, & infirmitati nostræ, & tale propositum re vera sufficit, ut vere peccatum remitti dicatur in ordine ad claves; ergo aliud non requiritur; consequentia probatur, quia aliàs facienti, quod in se est ex fide, & gratia, Deus deesset; hic autem in tali casu aliud præstare nequit ex impedimento suppposito defectu sufficientis instructionis, quamvis habeat bonam voluntatem, & perfectum dolorem de peccatis commissis, ergo &c. Imò hoc adeò verum est, ut etiam Brancatus ipse *d.8. cit. art.*15. in fine id affirmare sit coactus, ubi inquit, quòd sicut carenti copia baptizantis, ut salvetur, non sufficit, si habeat voluntatem servandi mandata Dei, sed requiritur votum expressum baptismi, dummodò eius habeat notitiam, sic peccator post baptismum indiget pœnitentiæ sacramento, vel in re, vel in voto; quibus verbis fatetur, necessitatem huius voti expressi, illtate solum extrà casum ignorantiæ, quando non est defectus sufficientis instructionis; quod benè dictum est, sed non satis consequenter ad ea, quæ dixit de necessitate baptismi *d.*13. *ar.*5. ubi universaliter contendit, & sine ulla exceptione tale usum baptismi pro remissione peccatorum antè illud commissorum media contritione, esse debere semper formale, & explicitum, quod affectum reiecimus *d.*2. *de Baptismo q.*7. *art.*1. Et quemadmodum ibi diximus, quòd sicut carens notitia baptismi excusatur ab expresso eius voto propter ignorantiam, ita eiusdem notitiam habens propter actualem inconsiderationem ab eiusdem voti expressione poterit excusari, fieri enim potest, ut aliquis nihil de baptismo cogitans ad contemplationem divinæ bonitatis, & suorum peccatorum detestationem subitò excitetur, & ex illa cõsidetatione ad veram Dei dilectionem, & contritionem moveatur in quo planè casu absq; expresso baptismi voto, utiq; justificabitur sic inquam, paritet in proposito discurrendum erit de voto sacramenti pęnitentiæ, servata proportione.

Sed Contrà hoc pluribus instat Brancat. *l.c.* quæ omnia ad hoc reducuntur, quòd votum virtuale, & implicitum in prædictis casibus sacramenti pœnitentiæ, seù confessionis aliud importare non potest, quàm propositum in generali servandi præcepta, sub quibus comprehenditur obligatio confessionis faciendæ; at sic explicando votum implicitum confessionis, nò magis necessarium esset sacramentum pęnitentiæ in voto ad hominem justificandum media contritione, quàm voluntas abstinendi à furto, fornicatione, cra-

crapula &c. neque hoc esset speciale privilegium sacramenti pœnitentiæ pro remissione peccatorum post baptismum commissorum, neq; baptismi pro remissione delictorum antè illud commissorum; cùm ergo Concil. dicit, contritionem Deo reconciliare peccatorem, si annexum habeat cõfessionis votum, jam tale votum à Concilio requisitum non erit votum illud implicitum inclusum in voluntate generali observandi mandata, sed erit formale, & explicitum ipsius Confessionis faciendæ tempore opportuno,

119 Respondeo, hanc difficultatem jam fuisse solutam *disp. 2. de Baptismo quæst. 7. n. 175.* in simili de necessitate voti baptismi pro remissione peccatorum ante illud commissorum medio contritionis actu; falsum enim est, votum virtuale, & implicitum sacramenti pœnitentiæ in prædictis casibus impottare solùm propositum in genere servandi mandata; sic enim utiq; sequeretur, quod non magis dici deberet homo justificari per sacramentum baptismi, vel pœnitentiæ in voto, quàm per voluntatem restituendi, jejunandi, non fornicandi, &c. Sed hoc votum virtuale, & implicitum sacrami baptismi, vel pœnitentiæ debet explicari per hoc, quòd pœnitens in prædictis casibus voluntatem habeat adhibendi media necessaria, vel quæ ordinata sunt in remedium peccati antè, vel post baptismum commissi, quamvis in specie tale esse ignoret in casu ignorantiæ, & insufficientis instructionis, vel defectu temporis illa recogitandi in casu scientiæ, & sufficientis instructionis; Undè homo speciali quadam ratione dicitur media contritione justificari potiùs per sacramentum baptismi, vel pœnitentiæ in voto, quàm per votum cujuscumque alterius præcepti, ut restituendi, jejunandi, &c. quia Baptismus, & Pœnitentia non solùm instituta sunt, tanquam necessaria ad justificationem sola necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii, ut dictum est *d. 2.* de sacramentis in genere, hoc est, tanquam media per se ad salutem ordinata; & quia votum, seù voluntas, & propositum fertur in unum quod que obiectum, sicut est, sive sit formaliter volitum, & explicite, sive virtualiter solùm, & implicite; ideo in baptismum, & pœnitentiam fertur, non solùm tanquam imposita, & statuta sub obligatione præcepti, sed præsertim tanquam in media specialiter instituta pro peccatorum remissione antè, vel post baptismum commissorum; & hac de causa dicitur homo specialiter justificari per contritionem cum voto sacramenti baptismi, vel pœnitentiæ potiùs, quàm per votum restitutionis, vel alterius præcepti, & nota, Brancatum quoque ad huius argumenti solutionem teneri, quod inter Recentiores est valdè tritum, cùm & ipse concedat, saltem in casu ignorantiæ sufficere votum implicitum sacramenti, ut suprà dictum est.

120 Concludendum igitur est, quòd contritio non sit perfecta neque sufficiens dispositio ad justificationem sine voto sacramenti pœnitentiæ formali, vel saltem virtuali, modo jam explicato; & ratio est, quia contritio est perfecta peccati detestatio, & voluntas efficax, qua illud destritur, atque ideò abstrahere non potest à mediis à Deo ordinatis ad eius destructionem; Neque dicas, ipsam contritionem esse tale medium, absque ordine ad sacramentum pœnitentiæ saltem in voto, hoc enim omninò falsum est, & contrà Concilia, & Patres dicentes, quòd contritio sine ordine ad claves peccata non remittit, hic autem ordo ad sacramentum est ipsum sacramenti votum formale, vel saltem virtuale.

Dices, contritio in lege veteri sivè naturæ, sivè Movsis haberi potuit, ut dispositio sufficiens ad justificationem sine tali voluntate; ergo & nunc in lege Evangelica, alioquin contritionis actus esset nunc deterioris conditionis, quàm tunc fuerit, quia nunc pluribus indigeret, ut sit sufficiens dispositio ad justificationem.

Respondeo negando consequentiam cum eius probatione, quia in lege Evangelica ordinata sunt media sensibilia, & certa, ad quæ homo ex cura suæ salutis necessariò tenetur, & quibus subordinatur contritio; unde tantùm abest, ut contritio sit nunc deterioris conditionis, quàm fuerit anteà in lege veteri, quòd modò maioris sit valoris sine comparatione, & maioris efficaciæ, quia nemini potest esse certum, si veram habeat contritionem, efficacia autem sacramenti est certa fide divina, unde per ordinem ad sacramenta maiorem sumit valorem, & certitudinem; Tùm quia contritio non habet efficaciam remittendi peccata per modum dispositionis physicæ; & ex natura rei, sed tantùm per modum dispositionis moralis, in quantùm acceptatur à Deo, ut dictum est disp. de Justificatione: Deus autem institutis jam aliis remediis in lege Evangelica non acceptat eam de facto, nisi cum ordine ad sacramentum baptismi, vel pœnitentiæ, quibus applicatus est valor meritorum Christi, ut Canones, & Concilia definiunt.

121 Octavò quæritur, An contritio necessariò cadat super omnia peccata memoriæ præsentia, vel possit esse tantùm de aliquo. Affirmant aliqui, dari posse veram pœnitentiam formaliter de uno peccato, & non de aliis, quæ utilis, & fructuosa sit, itaut per talem actum consequantur fructum pœnitentiæ, qui est remissio omnium peccatorum; ita Io. Medina *tract. 1. de pœnitentia q. 12. par. 2.* Fundamentum est, quia potest dari aliquis actus pœnitentiæ bonus, & laudabilis de uno peccato, qui per se, & intrinsecè nec formaliter; nec virtualiter sit de aliis peccatis; nõ enim repugnat, peccatorem moveri ad detestandum unum peccatum propter peculiarem oppositionem cum aliquo attributo, & perfectione divina, non detestando simul cætera v. g. motus ex peculiari affectu ergà sanctitatem divinam detestari potest peccatum blasphemiæ propter peculiarem oppositionem, quam cum tali habet attributo, non detestando reliqua peccata intemperantiæ, vel iniustitiæ contrà proximum, quæ cõtrà sanctitatem divinam talem peculiarem oppositionem non habent, & in hoc planè nulla apparet repugnantia Quòd autem talis actus sit charitatis actus ergà Deum, licèt imperfectus, & inadæquatus, ex eo constat, quia pro motivo formali habet ipsam increatam Dei sanctitatem, ob quam immediatè movetur ad detestandum blasphemiæ peccatum, ut peculiariter huic divinæ perfectioni oppositum; ergo talis actus est bonus, & laudabilis, & potest esse supernaturalis, sicut actus aliarum virtutum; quamvis enim talis actus per se non includat dolorem de aliis peccatis, sive voluntatem servandi alia præcepta, tamen neque ex vi sua excludit, quod sufficit, ut per se sit bonus.

122 Dicendum tamen est, contritionem, quę est vera, & perfecta pœnitentia in Script. injuncta pro peccatorum remissione, esse debere adequatâ de omnibus peccatis mortalibus formaliter, vel saltem virtualiter, nec posse unum mortale detestari, quin simul alia commissa detestetur. Hæc est cõmunis sententia, quæ expresè deducitur ex Script. quibus de omnibus peccatis pœnitentia indicitur, ut patet ex illo Ezec. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus suis.* Patet etiam ratione, quia cõtritio, ut talis detestatur peccata propter Deũ ultimũ finẽ super omnia dilectũ, ut constat ex dictis; ergo implicat, ut detestetur unũ peccatum mortale, quin simul detestentur omnia memoriæ præsentia saltem virtualiter, & pœnitùs excludit cõplacentiam de aliquo alio peccato.

Consequentia patet, quia si per contritionem homo detestatur peccatum, iam eo ipso implicat, cum contrione retinere affectum, & complacentiam ad aliquod peccatum mortale; nam hoc ipso nõ detestaretur peccatũ propter Deum super omnia dilectum, siquidem non detestaretur illud propter Deum dilectum suprà illam creaturam, cujus complacentiam, & affectum præferret complacentiæ, & dilectioni Dei. Ut ergo cõtritio sit sufficiens dispositio ad justificationem, si sit expresè, & formaliter de uno solo peccato, debet saltem virtualiter esse de omnibus aliis, quod tunc cõtingit, si sit sub motivo generali, quatenus communi omnibus peccatis; potest enim quis de aliquo peccato dolere considerans illud, ut offensã Dei, itaut moveatur formaliter hac ratione detestabilitatis secundum se spectata, unde cùm alia quoque peccata sint malum, offensa Dei, hæc pœnitentia saltem virtualiter cætera quoque complectitur peccata, estque talis, ut prorsus excludat complacentiam, aut voluntatem de aliis peccatis; dùm enim quis de aliquo certo peccato dolet absolutè, inquantum per illud Deum offendit, vel pœnam æternam meruit, non potest simul de alio peccato complacentiam habere, quod cognoscit, pariter offensam Dei esse, & pœnam æternam mereri.

123 Hinc patet ad fundamentũ oppositæ sententiæ, nam actus quo peccator unum peccatum mortale detestatur, ut specialiter alicui divino attributo oppositum, cùm sit ex particulari motivo cuiusdam certæ virtutis, quia peccatum v. g. fuit inỗ delitatis, vel sacrilegii, non est dolor, alia diversa peccata virtualiter complectens, quinimò ex sui ratione videtur posse secum admittere complacentiam de aliquo alio peccato, & voluntatem, v. g. fornicandi, & ideò non est censendus sufficiens dispositio ne quidem cum sacramento ad justificationem; quoniam ad justificationem etiam in sacramento requiritur ex parte peccatoris actus efficaciter reconciliativus cum Deo; talis autem actus non est efficaciter reconciliativus, quia non excludit affectum ad peccatum, quamvo luntatis à peccato exclusionem etiam in ipsa attritione requirit Trid. *sess. 14. cap. 4.* ut sit sufficiens dispositio cum sacramento pœnitentiæ ad gratiam consequendam. Fatendum igitur est, contritionem circà omnia peccata memoriæ præsentia versari debere saltem in confuso, itaut nullum positivè excludat, quia cùm sit ultima dispositio ad gratiam, & gratia cum ullo peccato mortali consistere nequeat, necesse est, omnia peccata mortalia simul per contritionem tolli, non quidem formaliter, quia hoc fit per gratiam, sed dispositive.

124 Nonò quæritur, An ad contritionem requiratur, ut sic de singulis peccatis distinctè, itaut de singulis mortalibus culpis debeat esse singularis contritio. Affirmant aliqui, de singulis peccatis memoriæ presentibus singulas esse cõtritiones habendas, & per distinctos doloris actus; ita significant Silvester verbo, *Contritio n. 5.* Angelus *n. 4.* pro qua sententia Soto *4. d. 17. q. 3.* refert Alensem, Ricardum, Durandum, Paludanum, quamvis alii negent, talem sententiam ab his Auctoribus expresè doceri. Fundamentum est, quia magis tenemur ad habendam contritionem, quàm confessionem de peccatis, quoniam à contritione nulla excusat necessitas; sed tenemur omnia, & singula peccata in particulari confiteri; ergo & de omnibus, & singulis conteri; eundem enim modum debemus interiùs per contritionem habere, quam foris per confessionem gerimus; quia confessio est signum interioris doloris.

Confit-

Confit. nam graves morbi speciales requirunt medicinas, ergo, & graves culpæ speciales petunt detestationes. Demũ ita quoque docet Catheschismus de sacramento pœnitentię *§. Maximè autem.*

125 Dicendum tamen est, ad veram contritionem, quæ sit sufficiens dispositio, sive intrà, sive extrà sacramentum, non requiri, ut unicuique peccato mortali sua respondeat specialis detestatio sive per unum, sive per diversos actus, sed sufficere pœnitentiam de omnibus peccatis commissis in confuso, & in generali. Ita Scotus *d. 15. q. 1. §. ex hoc patet lit. G.* ubi dicit, quòd una contritio in specie potest competere pluribus in specie peccatis, & quòd una in numero est sufficiens sub una generali ratione de pluribus numero, & paulò infrà *§. de quinto articulo* asserit, sufficere contritionem expressam de uno, quæ habitualiter, seù virtualiter extendatur ad reliqua; idem tenet ibidem Hiquęus in Commentario, Aretinus *q. 3. art. 7. d. 14.* Fabet de Pœnit. *d. 16. cap. 2.* & Recentiores omnes, Suarez *disp. 4. de pœnit. sect. 6.* Vasquez *3. q. 86. art. 2. dub. 7.* Amicus *disp. 4. sect. 6.* Aversa *q. 2. sect. 9.* Coninch. *disp. 2. d. 1. b. 8.* qui alios Summistas citat. Probatur autem, quia ex Scriptura huc non habetur, sed potiùs oppositum, ut patet ex loco Ezec. ad ducto *si impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus suis, &c.* ubi de omnibus peccatis pœnitentia in singulari exigitur, & non pœnitentię; sic etiam nullum Concilium sancivit, ut de multis peccatis multę habeantur contritiones, sed ad peccata delenda dicunt, contritionẽ sufficere sine sacramento in re, sed solùm in voto, vel attritionem cum sacram. & non exigunt attritiones, vel contritionũ in plurali; Undè perfecta cõtritio ad deletionem peccatorũ requisita non coalescit, ex pluribus actibus singulis peccatis correspondẽtibus, neque est illorum simul collectio, sed est simplex voluntatis motus omnia peccata respiciens in generali, & sic illa detestans.

Dices cum Brancato nostro *disp. 8. art. 10. & 11.* quòd facto conscientiæ examine, & omnibus peccatis ad memoriam reductis, sufficit quidem de illis omnibus unicam habere detestationem, & unicum contritionis actum, sed hic tertimuri debet omnia peccata, non in generali tantùm, & confusè, sed in particulari etiam, & distinctè, ut dici possit perfecta pœnitentia omnium peccatorum.

126 Sed neque hoc etiam benè dicitur, quia tàm distincti actus detestationis, quàm unica detestatio terminata ad singula peccata in particulari distinctè recogitata esset adhuc intollerabile onus, vel saltem nimis difficile humanis viribus, nam plures tales actus, vel una detestatio ad singula peccata memoriæ præsentia distinctè terminata sine notabili mora haberi non possunt, ac proindè qui cępisset cogitare, ac detestari peccata, si repentè moreretur, is non justificaretur, quod repugnat Scripturis, justificationem peccatori contrito etiam in momento promittentibus, nam David, Magdalena, & Latro in Cruce proponuntur in Scripturis justificati in momento.

Confirm. quia licèt contritio terminetur ad unum tantùm peccatum mortale, quod occurrit, tamẽ propter universalitatem motivi nempè Charitatis virtualiter detestatur omnia, à quibus vi illius avertitur, perindè ac si singula distinctè recogitata obiicerentur. Tandem patet à pari, quia ad propositum servandi omnia pręcepta, & abstinendi ab omnibus peccatis inclusum in contritione non requiritur distincta recogitatio pręceptorum, vel peccatorũ; ergo neque ad contritionem requiritur detestatio, vel cogitatio distincta peccatorum; Sufficit ergo ad veram, & perfectam contritionem, quod peccator doleat de omnibus peccatis commissis in confuso, seù in generali; dolor autem de peccatis in confuso est quando nullo examine conscientiæ præmisso, & nullius peccati recordatus peccator habet hunc actum, pœnitet, me offendisse Deũ; quomodocumque hoc fecerim, cum proposito non peccandi de cæteto, quod amplùs etiam constabit ex quæsito sequenti.

127 Ad fundamentum oppositę sententię negatur paritas de confessione, & de contritione secundum se considerata; nam ex vi institutionis hujus sacramenti per modũ judicii exercẽdi tenetur quidem pœnitens distinctè recogitare, & in memoriã sibi reducere sua peccata ad hoc, ut ea confiteatur; non tamẽ singillatim distinctos actus doloris elicere, aut unum detestationis actum ad singula distinctè, & singillatim terminatum; sed satis erit unus actus omnia complectens in generali moraliter confessioni conjunctus; & sicut in ordine ad confessionem sufficit una contritio de omnibus confitendis, ita in ordine ad pœnitentiam una detestatio de omnibus pœnitendis in generali.

Ad Confirm. negatur etiam omnimoda paritas de morbis corporalibus, & spiritualibus, ad hos enim sufficit una medicina efficax, qualis in proposito ex institutione divina est cõtritio de omnibus in genere sub ratione offensę; irrustrà enim fit per plura, quod per unum fieri potest. Ad ultimum Catechismus illud tantùm suadet, ut quid perfectius, non autem præcipit, ut necessarium, ut constat ex ejus verbis, *Hortandi, & monendi sunt, &c.*

Dices, si de peccatis singulis non dantur singulæ contritiones, non commensuratetur contritio gravitati, peccatorum, quorum alia graviora sunt aliis.

Respond. non aliam requiri commensurationem, quàm quòd contritio avertat à creatura, & convertat ad Deum, sicut peccatum averterat à Deo, & converterat ad creaturam; Et quidem si argumentum valeret, probaret etiam, eliciendos esse plures doloris, aut contritionis actus magis, vel minùs intensos pro num. & diversitate peccatorum, quod neque Adversarii volunt.

128 Decimò tandem quęritur, an contritio de pluribus peccatis simul requirat distinctam eorum cogitationem, seù an esse debeat de omnibus mortalibus distinctè recogitatis, an tantùm confusè cognitis. Affirmant aliqui, contritionem plurium peccatorũ specie diversorum requirere cogitationem illorum distinctam, confusam verò, & in generali nullo modo sufficere; ita præsertim ex nostris Brancatus *d. 8. ar. 11.* quod pluribus ibi probare contendit, quæ fuit opinio Cani, Soti, & Medinæ, ut refert Suarez sect. 6. quod probant primo ex Scriptura, quæ videtur requirere saltem distinctam recogitationem omnium peccatorum. Ps. 76. *cogitavi dies antiquos &c. exercitabar, & scopebam spiritũ meum* Isaiæ 38. *Recogitabo tibi annos meos*, sic etiam Patres docuisse videntur, præsertim verò Chrysost. *h. 9.* ad Hebr. circà finem, ubi inquit, *si quis recognoscat, se peccasse, & non ad singulas species descendat, nunquam cessabit.*

Confirm. Brancatus ratione, quia talis debet esse cognitio peccatorum præcedens contritionem, qualis debet sufficere ad confessionem; sed ad hanc non sufficit confusa cognitio peccatorum, ergo neque ad eam; minor patet, probatur maior, quia contritioni competit gratiæ collatio, & peccatorum remissio, quatenus habet votum confessionis; ergo eorum cogitatio talis esse debet, qualis ad confessionem requiritur, adeòut contritus peccatorum suorum confessionem facere possit absque alia recogitatione; Tùm quia contritio sola absque sacramento facit idem, quod sacramentum, ergo requirit eas dispositiones; imò maiores, quas requirit sacramentum. Tum quia ad plus obligatentur homines in nova, quàm in veteri lege, unde non esset mitior. Tandem arguit, quia nedùm ratio generica peccati est mala, sed etiam specifica, atque ideò uttaque est detestabilis; igitur nisi distinctè singula cognoscantur peccata sub propriis rationibus specificis, non erit sufficiens detestatio qualis ad contritionem requiritur, quia sine sufficienti cognitione Neque valet distinctio *de confusè &c.* quia sicut ratio differentialis non continetur in genere ullo modo, sed advenit illi; ita cognoscens præcisè genus, neque distinctè, neque confusè cognoscit differentias; & ait Brancatus, hanc esse opinionem Doctè. *q. disp. 17 quinc.* M. ubi docet, faciendam esse inquisitionem possibilem fragilitati humanæ ad recogitandum peccata.

129 Dicendum tamen est, ad valorem contritionis extrà sacramentum non necessariò requiri examen, & recogitationem explicitam singulorum peccatorum in particulari, sed sufficit, ut homo feratur ad omnia formaliter, & actu expresso de illa dolendo in generali. Ita Scotistæ omnes, & Recentiores citati pro conclusione præcedenti, ex qua ista quoque necessariò sequitur, si enim semper opus esset ad justificationem media contritione consequendam singula peccata sua in specie, & numero recolere, peccator ad mortem illicò raptus non posset justificari, & passim contingere posset, quempiam ad talem terminum devenire, ut de peccatis suis inciperet distinctè recogitare, & pœnitere, sed quia non haberet spatium omnia percurrendi, non posset justificari, quod est contra valorem virtutis pœnitentiæ communiter à Patribus edoctũ & quidem constat in mortis articulo, quando perfectior notitia à peccatore haberi non posset, tali pœnitenti posse absolutionem impendi; & planè incredibile est, Magdalenam, Latronem in Cruce, vel alios similes peccatores ita in speciali species, & numerum peccatorum suorum, pcinsquàm justificarentur, recogitasse; ergo signum est, dolorem de peccatis confusè consideratis posse sortiri rationem contritionis; si in peccatum feratur sub contritionis motivo; potest enim ex confusa consideratione vitæ præteritæ dolere propter Deum summè dilectum, ac firmiter proponere vitę emendationem, quamvis nullum peccatum in particulari consideret.

Confirm. quia dolere de singulis peccatis in specie est dolere de quolibet quoad malitiam in specie, quam includit, ut distinctum à cęteris, & ut opponitur tali in specie virtutis; at hoc ad veram contritionem necessarium non est, quia ut tradit Trid. *sess. 6. c. 6.* sufficit dolere de ipsis ex motivo charitatis, quia sunt offensa Dei, & eius amicitiæ opponuntur. Tandem ex hoc sequeretur, hominem teneri ad tot actus doloris, & contritionis in specie, quot sunt peccata in specie, quod nec etiam Brancatus ipse concedit; consequentia patet, quia repugnat ita de ipsius dolere, nisi ex motivo diversarum virtutum, quæ specie, & genere variantur, & ideò varios, & diversos requirunt actus.

130 Sufficit ergo in genere summè dolore de peccatis, quibus Deum offendimus, neque opus est, voluntatem pœnitentis ad singula reflectere, sed sufficit, ut dolor virtute extendatur ad omnia, & habeat firmum propositum Deum non offendendi de cætero, imò quædam peccata sunt, in quibus non expedit ob periculũ diũ inhærere meditando. Quando autem dicimus, ad contritionẽ sufficere de peccatis in genere recogitatis dolere, ut sunt offensa Dei, non est sensus, quod cogitare sufficiat de peccato præcisè sumpto,

quate-

quatenus malũ quoddã, seũ offensã Dei est, sed necesse est cogitare de peccato, quatenus à nobis commissum est, alioquin de illo contritio esse non posset, sed tantùm simplex odium, aut displicentia. Ex quibus infertur, veram contritionem, quæ justificat extrà sacramentum, non requirere cognitionem, aut examen singulorum peccatorum in particulari, neque necessitate medii, neque præcepti; non quidem medii, quia qui non habet tempus cogitandi de singulis peccatis justificari potest, sua peccata detestando in communi, ut dictum est; nec etiam necessitate præcepti, quia si potest haberi vera contritio sine examine sic distinctò; jam satisfieri potest præcepto contritionis sine tali examine, nam præceptum contritionis per se non potest ulteriùs obligare, quàm ad veram contritionem; vera autem contritio potest haberi sine tali distincto examine; undè sequitur satis esse, si quis de omnibus peccatis suis doleat, quæ occurrunt, & nullum habeat affectum circa aliquod peccatum in particulari.

131 Addendum tamen est, interdũ ad aliquas obligationes implendas necessariã esse distinctã peccatorũ recogitationem, ut v.g. si adhibẽda sint aliqua remedia, si vitandæ sint occasiones, si faciendæ restitutiones &c, & præsertim particulare singulorum moralium examen necessariũ est propter confessionem faciendam, quia hæc debet fieri de singulis peccatis in particulari, ac proindè singulare examen requirit de illis, cùm absolutio à peccatis mediante sacramẽto dari debeat per modum judicii, ut infrà dicemus; undè quando hic quæritur, an ad verã contritionem requiratur distincta recogitatio omniũ peccatorũ potest hoc dupliciter intelligi; primò, an contritio extra sacramentum cognitionem requirat de singulis peccatis mortalibus, ut homo possit justificari; seù an ea cognitio de singulis peccatis requiratur ex speciali præcepto contritionis; & dicimus nõ requiri. Secundò intelligi potest, an cõtritio requirat talem peccatorũ cognitionem, in ordine ad cõfessionem, seù ex speciali præcepto cõfessionis; & hoc omninò negari nõ potest, undè si aliqui Patres, & antiquiores Theologi cõtrariæ sententiæ favere videantur, certè loquuntur de examine, & cogitatione in ordine ad cõfessionem, non autem in ordine ad valorem contritionis extra Sacram. per quod tamen negate nõ intendimus, in praxi utilissimũ esse peccata singula in memoriã revocare ad perfectiorẽ contritionem habendam, Et in hoc sensu locutus est Scot. *4.dist.17 q.unic.ar.2.M.* cùm dicit, faciendam esse inquisitionem possibilem fragilitati humanæ ad recogitanda peccata, loquitur enim in ordine ad confessionem faciendã, inquit enim, quòd peccata sic ad memoriã reducta debẽt postea cõfiteri; alioquin loquens *dist.15.q.1.§. de quinto art.* de peccatorũ recogitatione in ordine ad contritionem habendam extrà sacramentũ, apertè dicit, quòd nõ est necesse, intellectum simul considerare hoc peccatum, & illud, nec volũtatem pœnitere simul de hoc, sed sufficit, quòd dum cogitat de uno & pœnitet de illo, promptus quoq; sit cogitare, & pœnitere de alio si sibi occurreret, ut Faber etiam notavit *d.16.cit.cap.2.n.55.* quem locum in vanum extorquere conatur Brançatus ubi suprà.

132 Resp. Adversarii, rationes adductas non valere, quia probant tantùm, tale distinctum peccatorum examen non esse necessarium in casu necessitatis, quando nimirùm quis morte illicò præventus tempus non habet singula peccata recogitandi, quod ipsi quoque concedunt, cùm enim dicunt, esse necessarium prævium examen distinctum, loquuntur regulariter, & ordinatè, quando adest tempus, & opportunitas; Quòd verò in extrema necessitate, scil. mortis sufficiat contritio absque distincta recogitatione, provenit ex decreto Dei volentis cum tanta misericordia homini providere de remediis, & mediis ad salutem, sicut patet de confessione in casu mortis, quæ non potest perfici, nec proindè sequitur, quòd regulariter, & quando tempus adest, non debeat esse integra. Cùm ergo præceptum pœnitentiæ in Scripturis intelligi debeat de omnibus, & singulis peccatis in specie, & numero, planè hoc præceptum adimpleri non potest, nisi distinctè recogitentur, & ab intellectu voluntati proponantur omnia peccata, tanquam detestanda, quando tempus adest, & opportunitas, & hoc etiam probabilius censet Amic. *d.4.sect.6.n.143.* quamvis oppositam quoque opinionem probabilem censeat, & practicè securam, quod ex Scripturis suprà citatis, & Patribus probare contendit.

133 Sed jam suprà notavimus, præsentem controversiam non esse de pœnitentia relata ad sacramentum confessionis; sic enim requirit examen, & distinctam recogitationem omnium peccatorũ, quia confessio fit homini, qui debet pœnitentiam imponere juxtà numerum, & qualitatem delictorum; sed controversia est de pœnitentia secundum se, quatenus habet vim justificandi extrà sacramentum, quomodo in omni lege necessaria fuit; si autem rationes adductæ ponderentur, probant, pœnitentiam in generali de omnibus peccatis absque distincta detestatione, ac recogitatione singulorum peccatorum posse esse sufficiens medium ad justificationem, non solùm in casu necessitatis, v.g. pœnitenæ mortis, sed etiam simpliciter, & absolutè loquendo, quia absolulè sufficit de singulis dolere in generali, quatenus sunt offensã Dei ex motivo charitatis, & eius amicitiæ opponuntur ex Trid. *sess. 6. cap. 6.* nec est necesse dolere de quolibet quoad malitiam in specie, quam includit, ut distinctum à cæteris, & ut opponitur tali in specie virtuti; unde opus non est recogitare, & detestari peccatum luxuriæ, quatenus tale, & quatenus oppositum virtuti castitatis, sed sufficit illud detestati, quatenus est offensã Dei ex motivo charitatis, in qua ratione convenit cum aliis peccatis; unde præceptum pœnitentiæ utique obligare intelligendum est de omnibus, & singulis peccatis; illa autem pœnitentia, quà peccator dolet de omnibus peccatis à se commissis, sive luxuriæ, sive injustitiæ, verè omnia, & singula peccata complectitur, neque plus ex Scriptura deducitur.

Confirm. quia hujusmodi distincta pœnitentia, & recogitatio de peccatis commissis non est necessaria necessitate medii, ut probatum est, quia quando aliquid est necessarium, ut medium ex natura sua, vel institutione divina requisitum ad aliquem actum, tenquit actus sine tali medio elici, sicut quia fides est hoc modo requisita ad contrictionem, nequit hæc sine illa produci: omnes autem concedunt, ex vi præsentis institutionis in aliquo necessitatis casu haberi posse contritionem ad justificationem sufficientem, sine distincta peccatorum recogitatione, ergo hæc non est necessaria ad contritionem habendam necessitate medii. Nec etiam necessaria videtur necessitate præcepti naturalis, vel poficivi, quia ex Scriptura non constat talis necessitas, aut obligatio, loca enim adducta facilè explicabimus infrà; tùm quia præceptũ, & obligatio pœnitentiæ circà peccata commissa non est major, quàm sit obligatio dilectionis Dei super omnia; sicut ergo dum homo tenetur Deum super omnia diligere, atque adeò velle in omnibus placere Deo, divina præcepta servando, non tenetur distinctè, & explicitè singula percurrere, vel cogitare, sed sufficit unus actus generalis, omnia præcepta complectens, ita se habet præceptum, & obligatio pœnitentiæ circa peccata commissa.

134 Respondent Amicus *loc. cit.* non esse eandem rationem de proposito servãdi præcepta, quia ad hoc sufficit, ut feratur in præcepta confusè cognita, nam finis hujus est confirmate animum ad observantiam divinorum præceptorum, quod haberi potest, sive dinstinctè, sive confusè ad ea feratur; At finis detestationis peccatorum est, ea ex animo retractare, & condignam pœnam sumere; quatenus offensã Dei sunt, qui finis eo perfectior habetur, quo distinctiùs ea cognoscuntur. Verùm sic dicendo jam fatetur, quod nos contendimus, minimè opus esse singula peccata recogitare sub specificis earum rationibus, quatenus huic, vel illi opponuntur virtuti; sed quatenus hoc, & illud peccatum offensã Dei fuit, quæ est ratio generalis, & peccatis omnibus communis, in hoc enim tantùm sensu dicimus, non esse necessariam distinctam de singulis peccatis commissis recogitationem, nempè sub propriis earum rationibus specificis, nam sufficit ea recogitare sub ratione generali, quatenus sunt offensã Dei; certum enim est, ex parte intellectus requiri memoriam, seù cogitationem aliquam de peccatis à se cõmissis, quia non sufficit cogitare de peccato præcisè sumpto, quatenus offensã Dei est, sed necesse est cogitare de peccatis, quatenus à nobis cõmissis in Dei offensam, licèt non semper sub specificis singulorũ rationibus; alioquin peccator non posset pro quocumque instanti conteri, & justificari, quoniam ad habendam distinctam cogitationem omnium peccatorum sub propriis eorum rationibus requiritur tempus, & aliqua mora, quod est contrà illud axioma, *in quacumque hora ingemuerit peccator, &c.*

135 Ad auctoritates pro opposita sententia adductas dicendũ est. Script. ibi narrate, quòd viri sancti, & perfecti fecerunt ad pleniorem, & uberiorẽ pœnitentiã, & satisfactionem, non tamen jussisse ita ab omnibus fieri debere, unde hoc est consilium, non præceptum, & gratis omninò dicit Amicus, citata testimonia plus aliquid indicare, quàm consiliũ; Patres quoque cõmendantur quidẽ talem distinctã peccatorũ recogitationem ad pleniorem pœnitentiæ modum, & aliquando ad obligationem cõfessionis in lege evãgelica respexerunt; Chrysostomus autem non negat absolutè, posse peccatorem justificari per contritionem, nisi per prævium examen ad singulas peccatorum species descendat, sed solùm negat perseveratutum in gratia, quia regulariter oportet, propositũ descendere ad particularia, ut occurrente posteà occasione serveturs & perseveret, quæ regula apud viros spirituales satis cõmunis est.

Ad rationem negatur major, quia non eodem modo quantum ad hoc fuerunt homines in lege veteri obligati ad contritionẽ, sicut tunc ad confessionẽ, quia hæc obligatio est nova in lege Evangelica; alioquin neque ex lege veteri, neque ex jure naturali talis apparet obligatio. Ad primam probationem concesso antecedẽte negatur consequentia, ex hoc enim, quòd contritio virtutem habeat peccata remittendi, quatenus habet annexum cõfessionis votum, solùm sequitur, pœnitentem teneri ad distinctũ peccatorum examen, quando aderit opportunitas confitendi. Ad secundam probationem rursus concesso antecedente negatur consequentia, quia licèt contritio extrà sacramentũ majores etiam dispositiones requirat, quàm sacramentum, ad illum effectum producendum, quia cũ sacramento sufficit sola attritio; non tamen ex hoc capite distinctæ recogitationis peccatorũ, sed ex aliis superiùs declaratis. Ad tertiam negatur consequentia, quamvis enim contritio ad sacramentum confessionis relata, & ad illam ordinata requiratdistin-

distinctum examen omnium peccatorum, quod in antiqua lege non requirebatur ad valorem contritionis per se sumptæ, adhuc tamen suavior, & mitior est lex nova, quàm vetus, quia modò attritiò sufficit cum sacramento ad peccatorũ remissionem, quę tunc sufficiens non erat, & tunc ex opere operantis tantùm pendebat peccatorum remissio, nunc autem ex opere operato, & ex meritis Christi mediante sacramento, quod planè legem nostram facit mitiorem, & longè suaviorem veteri. Ad ultimum pariter concesso antecedente negatur consequentia, quia quando dicimus, ad valorem contritionis per se consideratæ, ut sit idonea ad justificationem dispositio, sufficere de peccatis in genere recogitatis dolere, ut sunt offensã Dei; non est sensus, quòd cogitare sufficiat de peccato præcisè sumpto, quatenus malum quoddam, seù offensã Dei est, & de ratione generica peccati; certum enim est, ex parte intellectus requiri memoriam, seù cogitationem aliquam de peccatis à se commissis, & necesse est cogitare de peccatis, quatenus à nobis commissis in Dei offensam, quia actiones sunt circa singularia, non circa universalia; tamen opus est illa recogitare semper sub specificis singulorum rationibus, quas habent, ut huic, vel illi virtuti opponuntur, sed sufficit illa recogitare, ut sunt offensã Dei, in qua ratione conveniunt, & in hoc sensu dicimus, sufficere examen illorum in generali, & in confuso.

QUÆSTIO SEXTA.

De actu Attritionis Pœnitentiæ imperfectæ.

136 DIximus ab initio quæstionis præcedentis, attritionem esse dolorem aliquem de peccatis, qui non est tàm perfectus, nec est ultima, ac proxima dispositio ad gratiam, sicut est ipsa contritio; & Scot. ipse *4.dist.14.q.2.N.& q 4.* nomine attritionis intelligit actum odii, doloris, seù detestationis peccati, qui secundum se, & proximè nõ disponit ad gratiam sanctificantem, sed est tantùm remota dispositio, & fit proxima virtute sacramenti reipsa suscepti. Cæterum est aliqua attritio non solùm insufficiens ad remissionem peccatorum per se ipsam obtinẽdam, hoc est absq; sacramento in re, sed etiam insufficiens cũ ipso sacramento, ut si sit actus naturalis, vel non sit efficax in ordine ad peccata vitãda, quia nimirùm est absq; proposito actuali, vel saltẽ virtuali emendãdi vitam; Et de hac attritione hic non est sermo, quia hæc non est attritio supernaturalis, quę juvat ad salutẽ, & de qua Trid ait *sess.14.c.4.* esse donum Spiritus sancti, & includere propositum non peccandi de cętero; Sed de illa, quę est actus supernaturalis, & ex Spiritus Sãcti impulsu elicitus, quæ licèt per seipsam ad gratiam obtinendam sit insufficiens, efficitur tamen sufficiens virtute sacramenti. Unde etiã *l.c.* ab initio superioris quæstionis dicebamus, hanc attritionẽ supernaturalem in hoc convenire cum contritione, quod est dolor de peccatis cum proposito emendandi vitam, & spe veniæ divinitùs obtinendæ, nam tàm attritio, quàm contritio est peccatorũ detestatiõ, detestatio autem idẽ est, quod nolitio, & displicentia peccati, quæ à dolore distinguuntur, sicut causa ab effectu, & separari possunt; in Beatis enim est perfecta displicẽtia de peccatis sine dolore, dolor autẽ est effectus detestationis in subjecto doloris capaci; adhuc tamen solent Concilia, & Patres contritionem, & attritionẽ appellare dolorem, sumpta denominatione non ab essentia rei, sed ab effectu. Sicut autem *q.præc.* naturam, & essentiam contritionis investigavimus, varias difficultates resolvẽdo, quę de ipsa disputari solent, sic pariter in hac quæstione de attritione procedemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quænam sint motiva Attritionis.

137 ATtritionis piæ, & Christianæ, quæ homini ad salutem prodesse potest, & de qua hic est sermo, Concil. Trid. *sess.14.c.4.* duplex assignat motivum, unum, quo concipitur ex turpitudinis peccati consideratione; alterum verò, quo concipitur ex gehennæ, & pœnarum metu; juxtà quam doctrinam duplex erit attritio, una oritur ex consideratione fæditatis peccati, altera ex metu gehennę, & aliarum pœnarum, cujus divisionis sufficientia sic explicari potest, quia infrà dolorem peccati propter Deum, vel dolet quis, quia peccatum in se malum est, & deforme, vel quia est sibi causa mali, scilicet, pœnæ, & ità adequatè hoc duplex motivi genus communiter à Theologis recipitur, & assignatur; & hoc etiam insinuavit Sc. ipse *4.dist.20.q.1.§.In ista quæst.* ubi postquam dixit, detestationem ordinatam, quæ verè contritio est, debere elici à principio libero, & habere pro fine ipsum Deũ, cujus cõsideratio, & amor voluntatem moveat ad detestandum peccata, paulò infra ostendit, quænã sit attritio dicens, quòd in extremis morte subitanea imminente difficile est habere actum sic circumstantiatum, quia quinqs, tunc fuit impœnitens, non videretur extorquere à seipso displicẽtiam novam, nisi timore pęnę imminentis; præsumitur enim, quòd si remotus esset à pęna, sicut priùs, non extorqueret à seipso illam displicentiam, sicut nec priùs; Ità Doctor ibidem, quibus verbis expresè indicavit, displicentiam ortã à timore gehennæ constituere attritionem, & se sola non sufficere ad salvandum peccatorem; displicentiam verò ortam ex consideratione Dei, & super omnia diligibilis, constituere contritionem, & se sola ad salutem sufficere sine sacramento, ut etiam notavit Hirtibarnes *disp.6.sect.1.*

Meld. in Quart. Sentent.

138 Et hic notandum est, sub nomine pœnarum non solùm comprehendi pęnam æternam inferni, sive sensus, sive damni, sed etiam pœnas temporales Purgatorii, & hujus vitæ, v.g. pestis, famis, belli, vel alterius damni, quo Deus sæpe punit peccata etiam in hac vita; & quidem Deus minatur, & pœnas æternas, & temporales hujus sęculi ad homines deterrendos, ut ex metu pœnæ fugiant culpam, ac proindè timor hujusmodi laudabilis est, ac honestus, etiam metus pœnæ temporalis; hoc enim timore, inquit Trid. suprà, utiliter cõcussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem terroribus plenam pœnitentiam egerunt; Ubi tamen advertendum est, pęnam hujusmodi metuendam, ut à Deo inflictam, non ab homine, metus enim pœnæ præcisè, ut ab homine procedit, sive per vindictam, sive per judicialem sententiam, non sufficit ad attritionem, tùm quia non avertit hic metus hujus pœnæ ab omni peccato, sed ab externo tantùm, quod solùm homo animadvertere, & punire potest; tùm quia cùm omnis justificatio etiam in sacramento sit conversiõ hominis ad Deum, qui atteritur præcisè ob motivum humanum, is nullo modo convertitur ad Deum, sed solùm ad hominem; ubi etiam adverte quòd detestatio peccati ex motivo consequendi vitam ęternam, qua peccatum privat, ad hunc timorem pęnatum reducitur, ejusdem enim virtutis est, nempè Spei desiderate, seù amare beatitudinem æternam, ac timere pœnam illi aliquo modo oppositam.

139 Sed circà hoc motivum attritionis insurgit difficultas, quia metus pœnæ non videtur honestus; ergo nec sufficit ad attritionẽ, consequentia patet, probatur assumptum; Tùm quia timor pœnæ procedit ex amore proprio concupiscentiæ, ac proindè habet servilitatis turpitudinem. Tùm quia qui detestatur peccatum præcisè propter pęnam, habet virtualiter hunc affectum; Non detestatur peccatũ, nisi constituta illi esset pęna; hujusmodi autem voluntas est turpis. Tùm quia inordinatum est, ac turpe magis odisse pœnam, quàm culpam, hoc enim esset præligere culpam pęnæ, ac malle peccare, quàm subire hujusmodi pęnam; sed qui detestatur peccatum propter pœnam, magis odit pœnam, quàm culpam. Tùm quia attritio debet includere propositum non peccandi de cętero sed qui atteritur ex metu pœnæ, non habet propositum universale non peccandi, sed solùm quando est pęna, itaut si non esset pęna peccaret. Tùm tandem quia nulla virtus assignari potest, ad quam hic actus pertineat; ergo non est honestus.

140 Respondeo negando assumptum, quia timor gehennæ, & aliarum pęnarum, ex quo oritur attritio, tamquam ex fine proximo, non excludit debitum finem ultimum, sed ad illum implicitè ordinatur; Ad primam probationem dico, quòd licèt timor servilis merè naturalis, hoc est, ex amore proprio merè naturali, & cum servilitate, non sit honestus; is tamen, de quo est sermo, nempè ex amore proprio supernaturali est bonus, non solùm quoad effectum avertendi à peccato, sed etiam secundũ se intrinseceè, cùm sit actus virtutis, nempè Spei theologicę, vel charitatis erga seipsum, ac etiã pęnitentiæ, ideò ad hunc timorem nos excitat Christus Luc. 30. *timete eum, qui potest corpus mittere in gehennam*, & Trid. *sess.* 14. *cap.cit.* attritionẽ ex hujusmodi metu dicit donum Dei, & impulsũ Spiritus sancti, & Pattes ubique miris laudibus ipsum prosequũtur; Timor verò servilis turpis, seù cum servilitate est, quando sola pęna timetur, ac sola displicet, & excludit ultimum finẽ, non displicet autẽ culpa; timor autem pęnatum, de quo hic est sermo, est quidem servilis, prout opponitur filiali, non tamen cum servilitate, quia, & pęnam timet, & peccatum, nec excludit ultimum finem. Ad 2. probationem nego, actum attritionis Christianæ, de quo loquimur, affectum illum conditionatum includere, nam qui detestatur peccatum ex timore pęnæ non censetur detestari illud sub conditione, sed absolutè, & efficaciter, nam timor pænæ non est conditio, sub qua peccatum detestatur, sed est motivum, ex quo ad detestationem peccati adducitur absolutè, & efficaciter.

Ad tertiam probationem dico, quòd qui detestaretur culpã propter pęnam, comparando utramque, ut quod, inordinatè quidem ageret, sic enim præligeret saltem implicitè peccatũ pænæ, & paratus esset peccare potiùs, quàm pęnam subire; si verò in comparatione peccatum se habet, ut quod, pęna verò, ut quo; sicut accidit in attritione, quia pęna constituta est à Deo motivum ad detestãdum peccatum, nulla est inordinatio; neque enim hujusmodi detestatio sive formaliter, sive virtualiter peccatum pænæ præligit, & manente tali detestatione potest homo peralium actũ expresè malle pænam, quàm peccatum. Ad quartã, sicut qui atteritur metu pænæ, non debet hanc conditionem apponere, si non esset pęna peccarem, hæc enim voluntas est peccaminosa, sic non requiritur ad efficaciam voluntatis, vel propositi alia hæc conditionalis, etiã si non esset pęna, non peccarem, quæ sanè conditio non respicit, nisi casus fictos; in hoc enim rerũ ordine Deus de facto omnibus peccatis pœnam decrevit; illa ergo est voluntas efficax, & cum proposito non peccandi, seu vitandi peccatum, qua vis illud vitare, quoties propter ipsum pœnam subibis. Ad ultimã, omnis attritio, quæ de peccatis haberi potest, tàm ex timore proprii damni, & pænæ,